



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

VII. Capitula Guilleberti Episcopi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

fuis amicis ut per hæc jejunia & per alia bona & per elemosinas pium Dominum propitium & placatum habere possimus, ipso præstante qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

VIIII. Vt unusquisque in hospitalitate hilarum se præbeat &
Cetera obliterata sunt.

VII.

Capitula Guilleberti Episcopi.

INCIPIUNT CAPITULA GVILLEBERTI
EPISCOPI.

Ex vet. cod.
bibliothecæ
Thuanæ.

CAP. I. V T unusquisque rectè suos psalmos decantare possit.

II. Vt epistolas Pauli & Evangelium seu Missalem bene & distinctè perlegat & intellegat.

III. Vt in proxima synodo unusquisque suos canones habeat & intellegat: quia nulli sacerdotum licet ignorare canones.

IIII. Vt unusquisque baptisterium suum habeat, & rectè baptizare possit.

V. Vt orationem dominicam & symbolum & Credo in unum Deum bene intellegat, & alios docere studeat, etiam parvulos.

VI. Vt visitationes infirmorum & agenda mortuorum rectè habeat & intellegat.

VII. Vt de compoto Kalendas & Lunam & terminos adinvicem possit.

VIII. Vt unusquisque Martyrologium suum habeat.

IIIIII. Vt Dominicas & festivitates præcipuas excolere per gradalem suam & nocturnalem canticum non ignoret.

DE INTERDICTIS.

I. Vt non alterius Ecclesiæ ordinatus in nostra parrochia ministrare sine formata audeat.

II. Vt qui proprium titulum non habet, præter illos qui in monasteriis conversantur, in nostra parrochia vel extra licentiam ministrare præsumat; nec amplius quam una Ecclesia habeat, nisi subiecta fuerit suæ Ecclesiæ.

III. Vt in Capellis quæ sine dote & sine parrochia sunt nullus licentiam ministrandi habeat.

IIII. Vt nullus convivium occasione accepta pro mortuis adire præsumat.

V. Vt nullus in domo sua pro aliqua occasione feminam teneat, præter eam quæ Ecclesiæ deserierit, juxta Ecclesiam collocare studeat ab Ecclesia ei domum provideat, & non per se sed per ministros suos necessaria præbeat.

VI. Vt vel absque uno Clerico nullus esse præsumat, neque Missam solus cantet: quia admirandum est qualiter possit dicere Dominus vobiscum, Sursum corda, & cetera. Neque Missa ullo modo celebrare potest absque perceptione corporis & sanguinis Domini. Quicquid hoc fecerit, consideret qualiter possit dicere: Sacramenta quæ sumpsimus Domine, & cetera.

VII. Vt nullus Presbyter infra unam extra Ecclesiam suam derelinquat, nisi acciderit aliquod inevitabile periculum.

VIII. Vt unusquisque sab aut per se aut per Presbyt faciat ad populum.

Tom. II.

VIII.

Rhabani Abbatis Fuldensis epistola ad Regimbaldam Chorepiscopum Moguntinum.

R Evertentissimo atque in divino cultu religiosissimo Christi sacerdoti Regimboldo Hrabanus in Domino salutem. Nuper ad nos quidam frater venit de monasterio quod dicitur Herolfefeld vicino nobis, portans in pittatio quasdam quæstionculas conscriptas, petensque ex tuo nomine quatenus eas nostris responsionibus solveremus. Cujus petitioni libenter aures accommodavimus, & quantum potuimus, ex patrum sententiis eas solvere cepimus.

Ex vet. cod.
Oratorij
Trecentis.

I. Primum ergo ibi quæsitum est quale judicium ille sustinere debeat qui, flagellando uxorem suam, duos filios suos in partu occidit, ita ut ad baptismi gratiam pervenire non potuerint, tertium vero filium ita debilitavit ut post partum mox baptizatus vitam finiret. Vbi liquidò patet quod propter immoderatam correptionem in crimen cecidit parricidij. Quid autem de homicidio sacri canones sanciant tibi non ignotum est, cum in Ancyrano Concilio ita scriptum est: Qui voluntariè homicidium fecerit, poenitentia quidem jugiter se submittant, perfectionem vero circa vitæ exitum consequantur. De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septennem poenitentiam perfectionem consequi præcepit, secunda verò quinquennij tempus explet. Vbi etiam consideranda est infirmitas personæ poenitentis & modus poenitentia. Qui servidè poenitentiam de peccatis suis gerit, citius indulgentiam per Domini misericordiam obtinebit.

II. Secunda quæstio est de eo quem canis furens morsu in pede laceravit, ob cuius remedium quidam ei nescienti dederunt jecur ejusdem canis ad manducandum, quasi sanus inde fieri posset. Vbi humanus error delicti noxam peperit in his qui volentes sanum mederi, vim medicinae nesciunt. Sunt ergo hujusmodi ab hoc errore corrigendi, ne ultra tale facinus perpetrent, & profecto quod commiserunt aliqua disciplina vel jejuniis corripendi, ut ceteri metum habentes tale scelus post hæc committere non præsumant.

III. Tertia quæstio de eo fuit qui cani feminæ irrationabiliter se miscuit; & quarta de illo qui cum vaccis sæpius fornicatus est. Quid de hujusmodi hominibus judicandum sit, & de hujusmodi animantibus & partu earum faciendum. Vbi dementia humanæ mentis & miseria patet maxima; eò que detestabilis est illud factum quò scelus in eo apparet maximum, cum animal rationale contra naturam irrationabili per libidinem se commiscet animanti. In lege ergo Dominus tale crimen judicio mortis puniendum esse decrevit, ita dicens: Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur. Pecus quoque occidite. Mulier quæ subcubuerit cuilibet jumento, simul interficiatur cum eo. Sanguis eorum sit super eos. Sed si aliquis

SS ff